

Quin & simplices Clericos primâ dumtaxat Tonfurâ insignitos de enormissimis criminibus, etiam læsæ Majestatis, gavisos fuisse privilegio fori, & ad judicem Ecclesiasticum remitti debuisse saculo 13. & 14. multis exemplis ostendit Michaël Rousselius in Historia Pontificiæ Jurisdictionis lib. 4. c. 2. n. 22. & nonnulla antiqua Parliamentorum Arresta referuntur in Actis Cleri Gallicani *tomo 2. parte 1. tit. 2. c. 17.* quæ evincunt, latè admodum tunc se extendisse hoc privilegium fori.

XXVIII. Synodus Tridentina causas criminales, non secus ac causas Matrimoniales, solis Episcopis detulit, exclusis judiciibus inferioribus *Sess. 24. c. 20. De Reform.* Cum autem sub eodem verborum contextu tam criminales causas quam Matrimoniales, Episcopis reservata, poterunt hic sufficere, quæ super hoc Decreto supra titulo præcedenti c. 1. dicta fuerunt.

XXIX. Illud hic notandum, per Decretum Concilii nequaquam excludi à cognitione causarum criminalium Officialem Episcopum: quia hic vice Episcopi judicat, ipsumque tribunal Officialis reparatur tribunal Episcopale. Quapropter de omnibus causis, quæ Episcopo tamquam Ordinario judici deferuntur, Officialis cognoscere & judicare poterit, nisi specialiter dictum sit, quod per seipsum Episcopus cognoscere & judicare debeat.

CAPUT II.

Qua ratione imminutum hodie privilegium fori; & de quibus criminibus Clericorum cognoscant Judices Regii?

- 1 Olim latissime patebat privilegium fori Clericis competent.
- 2 Cur privilegium illud facile indultum fuerit.
- 3 Rationes, quæ moverunt Prælatos, ut hoc privilegium auerentur, & Principes, ut hoc ipsum confirmarent.
- 4 Circa sæculum 13. & 14. hoc privilegium impeti capit.
- 5 Querela Concilii Remensis de hac impetitione.
- 6 Concilium vetat aliquam emendam per Laicos exigi à Clericis.
- 7 Concilium Avenionense prohibet sub pœna excommunicationis personam Laicam capi per judices Laicos.
- 8 Concilium revocat omnes licentias datas ab Episcopis capiendis Clericos per judices Laicos.
- 9 Non obstantibus Decretis Conciliorum equidem magis continuo attentatum fuit contra privilegium fori.
10. Fuit Concilium, ut in locis, in quibus detinentur Clerici, à Laicis cesseret à divinis.
- 11 Decretum Concilii Constantiensis pro immunitate clericali.
12. Ex Decretis Conciliorum cognoscitur, Magistratus civiles attentasse sine speciali auctoritate Regis.
- 13 Sæculo decimo quinto aliqua crimina erant reservata ex consuetudine cognitioni Regiæ, etiam contra clericos.
14. Hac reservatio imitebatur consuetudini, & præsumpto privilegio Pontificio.
15. Pro stabilenda consuetudine adferant criminum impunitatem, quæ dicebatur haberi in tribunalibus Ecclesiasticis.
16. Multiplex appellatio à sententia judicis Ecclesiastici punitionem criminum impediabat.
17. Facilis laicorum consuetudo procurabat impunitatem criminum, de qua querebantur judices Regii.
18. Crimina reservata & modus procedendi à judicibus Regiis olim continuo extensa.
19. Præmissis tantum videntur judices Regii clericos condemnasse pecuniariter.
20. Successu temporis integram punitionem sibi attribuerunt.
21. Qua crimina dicerentur privilegiata, & qua communia.
22. Cur sic dicta?

23. Decretum Francisci I. Regis Galliarum de processu super crimine privilegiato.
24. De hoc edicto tamquam immunitati clericali contrarium questus fuit Clerus Gallicanus.
25. Moderatio hujus Edicti impetrata ab Henrico III. Edicto Melodunensi.
26. Modus procedendi hic prescriptus multis titulis videtur conveniens.
27. Hic procedendi modus per totum Regnum Gallia fuit extensus abrogat à contrariâ praxi.
28. Edictum Henrici III. nullam facit distinctionem super delictis privilegiatis.
29. Hodie plura delicta privilegiata dicuntur ab hoc edicto exempta, & solis judicibus Regis reservata.
30. Hodie videtur invaluisse distinctio ipsorum criminum privilegiatorum, de quibus judices Regii vel soli vel conjunctim cognoscant.
31. Per hanc distinctionem multum detractum auctoritati Ecclesiasticæ.
32. Juxta Edictum Henrici III. sive Mediolanense, clericus accusatus de delicto privilegiato remittendus est ad Episcopum proprium.
33. Episcopus aliquando tenetur deputare Vicarium, qui de crimine cum judice Regio cognoscat.
34. Similiter & in causa appellationis Vicarius nominandus de Diocesi, in qua prima sententia fuit prolata.
35. Privilegium Episcopi Parisiensis cognoscendi de crimine omnium clericorum, qui in civitate Parisiensis capiuntur.
36. Causa pendente in Parlamento Regio deponenda Consiliarii Ecclesiastici ab Episcopo.
37. Cur id specialiter indultum supremis curiis.
38. Remissione clericis facta ad judicem Ecclesiasticum causa conjunctim cum judice Regio instruenda est.
39. Causa conjunctim instruit à sententia per utrumque, judicem separatim proferenda.
40. Absolutus à judice Ecclesiastico potest super eodem delicto condemnari à judice Regio.
41. Judex Ecclesiasticus non potest clericum dimittere à carcere sine consensu judicis Regii.
42. Appellans à sententia judicis Ecclesiastici remittitur ad Superiorem Ecclesiasticum; quem effectum hac appellatio habeat.
43. Modus hic procedendi super crimine privilegiato in Belgia hæcenus non est prescriptus.
44. Multa crimina dicuntur privilegiata in Flandria.
45. Quid de his habeant concordata Brabantia.
46. Hac Concordata non omnia crimina capitalia habent privilegia.
47. Concordata tantum loquuntur de simplicibus clericis prima Tonfura.
48. Cur praxis Gallia facilis communicari potuerit Flandria quam Brabantia.
49. Clerici delinquentes in officio seculari non gaudent privilegio clericali, etiam juxta concordata Brabantia.
50. Id ipsum in Flandria & Gallia usitatum.
51. Plura per Ministros Regios paulatim inducta contra immunitatem Ecclesiasticam ultra tenorem Edictorum Regiorum & concordatorum.
52. Quibus modis his occurrere possent Episcopi.

**L**atissime jam pridem patuisse privilegium Clericale, quod fori vocant, in materia criminali, copite præcedenti ostendimus; addo ut Clerici, tamen si enormium criminum rei & convicti, à judice Ecclesiastico dumtaxat judicari & condemnari possent: qui convictos solebat non publico aut capitali supplicio damnare (nec enim per se poterat) sed carceri perpetuo, jejunioque panis & aquæ similibusque pœnis castigare.

II. Hoc facile indolgebatur, ut vel sic Clerici ad meliorem frugem revocarentur, & Ordinis Ecclesiastici dignitati consuleretur; cavereturque ne Sacerdotalis ordo secularium insultationi exponeretur; quemadmodum Prælati Gallicani Ludovicus

Ludovico Pio jam pridem repræsentarunt, ut Ebbonem Archiepiscopum Remensem de crimine rebellionis convictum, Synodi judicio puniendum dimitteret: "Ut parcere, tur (inquunt) ipsius verecundia, ac propter etiam Ecclesiæ opprobrium, & insolentem secularium insultationem, tum ne dignitas Sacerdotalis pollueretur, si publicè Ebbonem de his, quibus impetitus & adhuc impetendus erat, convictus foret."

Ita refert Hinemarum in Opusculo contra Gothofalcum c. 36.

III. Et sanè quis ambigat, quin contumeliosum appareat Ordini Sacerdotali, ipsos Sacerdotes propalam in plateis publicis coram populo necari, aut corporalibus suppliciis affici? Quod & pagani ipsi agnovissent. Nam decori Vestalium dabatur, ut daturæ pœnas, ludibrio & oculis vulgi subtraherentur, defossæ in specum viva.

Scitur quoque, quanto & ipsi Laicis scandalo sit, dum ipsa Clericorum crimina propalam, & omnium oculis exponuntur; quantumque hæc Laicorum erga Sacerdotes venerationem & obedientiam diminuant! Mirum proinde videri non debet, quod Imperatores & Principes Christiani aliquando admodum favorabiles fuerint in remittendis Clericorum delictis ad judices Ecclesiasticos; ipsique Episcopi etiam Sanctissimi tanto zelo & labore hoc privilegium fori vindicaverint, & contra Laicorum conatus defenderint.

IV. Porro quemadmodum circa sæculum 13. & 14. privilegium fori in materia civili à nonnullis impeti, & sensim arctari cepit, uti titulo 1 c. 3. ostensum est, ita circa idem privilegium in materia criminali contigit, vel ex Solis Synodorum Decretis contra hosce Laicorum insultus intelligimus.

V. Concilium Remense celebratum apud Compendium anno 1301. imprimis statuit & decernit, quod si in aliqua civitate, vel in aliquo loco Remensis Provincia contingat quandoque Clericum detineri per laicalem iustitiam, postquam dictus Clericus fuerit ab Episcopo loci illius, vel ab Officiali, vel Decano rurali, seu ex parte alicujus eorum legitime requisitus, cesseret à Divinis in loco captionis & detentionis, quousque fuerit competenter restitutus.

Deinde *Can. 3.* vult Concilium, "si Clericus per iustitiam secularè laicalem capiatur in aliqua Diocesi, & extra hatur ab ea, & ad aliam deducatur, cesseret similiter à divinis in loco, ubi fuerit captus, & in locis ipsius capientis, per quem fuit deductus, quousque ad dictam Diocesim fuerit readductus, & sufficienter restitutus."

VI. Denique *Can. 3.* sub pœna excommunicationis inhibet laicis, ne occasione excessuum Clericorum aliquid exigant vel levitent: "Cum (inquit Concilium) per iustitiam laicalem non debeant puniri excessus Clericorum, nec ab eis levari emenda de eisdem, cum hæc ad solos judices Ecclesiasticos, non seculares pertinere noscantur."

VII. Concilium Avenionense anno 1326. *Can. 14.* sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ prohibet iudicibus & Magistratibus Laicis aliquam personam Ecclesiasticam capere; "nisi forte in eo dumtaxat casu, cum scilicet, cet eos adhuc flagrante crimine capi contigerit, antequam ad alios extraneos actus divertant, rectâ viâ eos ad Curiam Ecclesiasticam duxerint, & eos restituerint sine fraude."

VIII. Illud notandum occurrit, quod Concilium revocet omnes licentias aliquando ex causa eis (Magistratibus civilibus) ad certum tempus, vel simpliciter ad certas personas ab Archiepiscopis vel Episcopis concessas: sed quod hæc occasione, manus temerarias ad capiendum Clericos passim & indifferenter incivilliter, & eo modo quo possint turpius, ad majorem confusionem Ecclesiæ ac Cleri extendere non vererentur.

Quidni ex his licentiis nonnunquam forsitan facilis & liberalius concessis, sensim major accesserit Magistratibus laicis capiendi Clericos audacia, & libertas.

IX. Id equidem videmus, sensim magis laicos contra Clericalem hoc privilegium attentasse. Conqueritur enim Concilium Parisiense anno 1346. *Can. 1.* quod "iustitia secularis

Clericos & personas Ecclesiasticas de die in diem capiat, & capi faciat, & captos seu captas in prisonem seu carcerem detruat, seu detruat, detineat, seu detineri; & quod gravius est, torqueat, seu torqueri; ultimo supplicio tradit, seu etiam tradi faciat, in præjudicium jurisdictionis Ecclesiasticæ libertatis."

X. His attentatis occurrere volens Concilium statuit: "Si contingat Clericum seu personam Ecclesiasticam in villis, seu castris aut locis Diocesis aut Provinciae Senonensis capit. 1. per judicem secularem, seu detineri, vel ultimo tradi supplicio, judex requisitus, seu monitus de reddendo eundem Clericum, seu illam personam... ipsius suo iudici Ecclesiastico non reddiderit, seu restituerit, vel reddere aut restituere noluerit, seu recusaverit, aut plus debito distulerit, in sua malitia perseverans, cesserit à Divinis."

XI. Similia & in aliis Conciliis etiam sæculo 15. occurrunt, ac notanter in Concilio Constantiensi anno 1417. Nul- lus Ecclesiasticam personam in criminali quaestione, vel civili, ad iudicium seculare præsumat attrahere contra canonicas sanctiones, & contra Constitutiones Imperiales.

XII. Cum hæc Decreta dirigantur contra Magistratus judices immunitatis Clericalis infractores, admodum verisimile est, Magistratus & judices id propria auctoritate attentasse.

Et sanè si Regiâ auctoritate, seu aliquo positivo Principis Edicto fuissent suffulti, numquam eas pœnas & censuras Episcopi in ipsos evibrassent; sed potius ipsi Principi pro revocatione, suspensione, vel moderatione sui Edicti supplicasset.

XIII. Negare tamen non possumus, nonnulla delicta atrociora sæculo 15. jam tum Regiæ cognitioni ex consuetudine fuisse reservata; idque etiam contra Clericos, quemadmodum antiqui Prælati, Massuerus, Auferrius, & post hos Guilelmus Benedicti ad *Cap. Raynurus* unanimiter testantur, & signanter Benedicti ait n. 435. "Cognoscit Rex & ejus Officiarii de omni crimine privilegiato; ut sunt crimen læsæ Majestatis, falsæ monete, infractio salveguardiæ Regiæ, vel assicuramenti britati. Et procedere consuevit etiam contra Clericos de præmissis, vel aliquo præmissorum inculpato; vel si manum Regiam violaverint, & de quibusdam aliis, quæ privilegiata dicuntur."

XIV. Illud tum ex Guilelmo Benedicti, tum aliis antiquioribus auctoribus patet, hanc auctoritatem cognoscendi de delictis Clericorum tunc consuetudini à scriptam fuisse quam privilegio Pontificio dicebant innixam.

Auferrius enim De Potestate sæculi in Ecclesiasticos *Reg. 1. Fal. 12.* postquam dixit, quod in casu violationis seu infractiois salveguardiæ judices Regii contra Clericos quoscumque cognoscere consueverint, & hujusmodi Clericos pecuniariter punire, subiungit: "Et de hoc Rex & ejus Officiarii sunt in possessione & satina à tempore, ejus initii memoria non existit; quod tempus immemorabile, juxta Theotonicam Joannis Monachi, operatur idem quod privilegium."

Post hæc dicit: "Nec obstat, si dicatur illud locum habere, quando præscribens est capax possessionis, secus ubi esset incapax."

"Ad quod respondetur [ait Auferrius] verum esse regulariter, quod ex solo cursu temporis quis fieri non potest capax de incapaci, fallit tamen, si unâ cum tali possessione immemorabili concurrat fama privilegii; quia ne propter difficultatem probandi rem tam antiquam pereat jus partitis, præsumitur pro privilegio; non ergo solum tempus hoc inducit, sed præsumptio privilegii probata diuturnitate famæ.... Quod autem facultas cognoscendi civiliter, que puniendi de certis criminibus aliquorum Clericorum, per judicem secularem sit quasi bilis privilegio, jam satis tactum esse videtur in prima fallentia... Sed sic est, quod in nostro casu unâ cum prædicta possessione immemorabili concurrat fama privilegii. Et præsertim, quia scientia

Prin-

